

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

CVII. Sectetur Verborum delectum sed moderatum, ornatum non nimium, sed
verecundum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

sequitur intellectus audientis, quum loquendi
 omninò nulla sit causa, si quod loquimur, non in-
 telligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur.
 Qui ergò docet, vitabit omnia verba, quae non
 docent. Concilii Aquisgranensis Canon IX. vult,
 ut Sermo Episcopi sit purus, simplex & apertus,
 plenus gravitate & honestate, plenus svaritate
 & gloriâ. Non itaque tam sermonis ornatus
 & flores, quàm styli familiaris diluciditas &
 claritas in totâ oratione & maximè in docendo
 peculiari studio à Concionatore est curanda.
 Verbo, purissimè dicit, qui Biblicè; perspicuè
 dicit, qui simpliciter, populariter & bono or-
 dine. Annitendū Præconi fidei, cuius summa
 ope, ut in primis fidei dogmata simplici & per-
 spicuâ oratione proponat, nec Troporum aut
 Figurarum schematibus vestiatur, ne Mysteria di-
 vina non tam evoluisse & explicasse quàm no-
 vis verborū involucribus involuisse & implicas-
 se dicatur. Apostolus Paulus 1. Corinth. XIV.
 per integrum ferè caput Lingvam intelligibi-
 lem ab Ecclesiæ Doctoribus requirit, factique
 contrarii incommoda prolixè commemorat.

CVII.

Sequitur Verborum delectum.
 sed

sed moderatum, ornatum non nimium, sed verecundum.

Ἐξηγησις

Absint hic Verborum ineptiæ & vocum novitates, absint ampullæ & sesquipedalia verba; Alia est ratio Declamatorum, & alia debet esse Ecclesiæ Doctorum; Illi elucubrata declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus affectant. Isti sobrio, usitatoque sermone Christi gloriam concupiscunt, inquit *Prosser* lib. I. de vit. Contempl. cap. 24. Sententiarum excellentia sermonis quidem postulat elegantiam, ut rerum majestati sermonis dignitas respondeat, & sibi invicem quasi concantu quodam res & verba concurrant. Ast sermonis elegantia, quam requirimus, in puritate & perspicuitate consistit, uti diximus, non in verborum pompâ & orationis pigmentis; in simplicitate divinis eloquiis consentanea, non in splendida & ambitiosa facundiâ. Nihil ostentatione eloquentiæ hic odiosius, nihil, quod auditorum animos magis à Concionatore abalienet. Quod quid planius, quo simplicius, eodem melius & auditoribus gratius est. *Regnum Dei tam gloriæ, quam gratiæ non situm est* ἐν λόγῳ, ἀλλ' ἐν δυνάμει, inquit divinus Orator Paulus

Rt 5

lus

Ius. Cor. IV. 20. h. e. neque salus aeterna paratur, nec Ecclesiae aedificatio promovetur, inani verborum strepitu, sed *virtute*, i. e. verà Dei cognitione, verà fide, pio, ardenteq; Zelo pietatis, confessionis, &c. *Devota*, inquit idem ad Timotheum, τὰς βεβηλὰς νεοφωσίας, *profanas vocum novitates*. I. Tim. VI. 20. Ita vetus Interpretes Legit enim νεοφωσίας, atque sic etiam *Cbrysostomus, Theodoretus, & Latini Patres* passim, nec adeò malè: Novae enim phrasès, nova verba, novarum dogmatum plerumque prodromi vel indicia. Ast Graeci Codices communiter hodiè habent νεοφωσίας, uti & 2. Tim. II. 16. *vocum inanitates*, (ut sup. 3. Monit. LXV. quoque insinuavimus.) ut ita inflata magnis ampullis garrulitas & sermonis inanitas ac vanitas notetur. Consummatissimus Theologus, B. Chemnitius in Commonefaction. specialibus, praemissis LL. Theolog. pag. 16. graviter monet; *Observandum esse, quos modos loquendi in quolibet loco Ecclesia receperit, & quo consilio; quos rejecerit & quibus de causis; ne petulanti novitatis affectatione à proprietate sermonis Ecclesiastici temerè discedatur. Est enim diligentia digna piis, propter concordiam loqui cum Ecclesià rectè sentiente. Petulans enim mutatio vel errores parit, vel dissidia. Et plerum-*

rumque periculosis erroribus via sternitur,
 quando plerique piscatoriam Spiritus S. simplici-
 tatem nauseantes, sub integumento ornatus
 & elegantia alienius novo Phœnix introducunt.
 Hæc ille. Cæterum uti inter voces, *καιοφωρία*
 & *καιοφωρία*, ita inter res significatas, magna est
 cognatio. Nova persæpe etiam *vana* & *ina-*
nia. Marc. Anton. Muretus in Epist. 40. Sene-
 cæ annotat; Orationem sacram non comptā
 & calamistratam, sed gravitatis, majestatis &
 sanctimonix plenam esse debere, non ex melli-
 ris verborum contextam globulis, ita ut ad ta-
 les Oratores, non tanquam ad vitæ magistros,
 aut vitiorum correctores, sed tanquam ad Co-
 mœdos & histriones eatur. Veritatis oratio
 simplex est, hæcque tria ad persuadendum ma-
 ximè sunt accommoda, scil. *vite integritas, ve-*
rum, de quibus dicitur, *bonitas & orationis sim-*
plicitas. Cogitet Evangelicus Doctor, se Mi-
 nistrum & Legatum Christi esse, non histrio-
 nem, non Comœdum, non Oratorem Genti-
 lem, laudem eloquentiæ & plausum popula-
 rem captantem. Cogitet se in Ecclesiâ, non
 in foro verba facere, ac proinde orationem su-
 am non modò ad sapientum judicia accom-
 modet, sed multò magis ad popularem captū
 atque intelligentiam attemperet; *Pro qua sit a-*

re auditorum debet formari sermo Doctorum, ait Gregorius in prol. 3 part. Pastoral. Hinc Paulus Rom. I. 14. *Debitor sum*, inquit *sapientibus & insipientibus*. Vitet ergo grande dicendi genus, quale in aulis Principum & Curiis adhiberi solet, (Engley Deutsch) quodq; à communi usu quodammodo remotum est. Grande enim dicendi genus, præsertim si affectata pronuntiatio accedat, suspicionem superbiz & arrogantiz Concionatoris excitat. Nec exquirat Oratorum & Poëtarum, res fictas & fabulosas pomposo & recondito stylo describentium, verba selectissima, aut eos in dicendo imitetur. *Ummadisch*, und *Opyitanisch* Deutsch geböret nicht auf die Engel. Comparet verò sibi, siue ex lectione piorum, purè & eleganter scribentium, siue ex sermonibus & concionibus purè & perspicuè loquentium, vernaculi sermonis facultatem, ut eleganter & populariter dicere possit ad populi adificationem. Oratio enim sacra requirit stylum gravem & suavem, ad phraseologiam Spiritus S. exactissimè conformatum, ad persuadendum & affectus commovendos aptum, ad captum auditorum, in primis rudiorum accommodatum, eruditâ perspicuitate gaudentem, ita ut Majestati divinorum Mysteriorum sit conveniens, & nihilominus doctis & indoctis æque intelligibilis. *Circa genus dicendi*, inquit *B. Æg. Hunnius* in Meth. Concion. col. 1037. Tom. III. Oper. seu elo-

cutio-

cutionem vehementer variant Concio-
natores: Nam alii quidem grandi & pro-
pè aulico genere sermonis gaudent; alii
verò ex quadam levitate scurras verius
quàm Concionatores agunt in cathedrâ,
nonnulli magnam concionis partem testi-
moniis Scripturæ latinâ lingvâ allegan-
dis insumunt; quidam odiosâ tautologiâ
unum idemque subinde repetunt, verbis
paulo mutatis, multisque sine peculiari
emphasis congestis synonymis (i. e. in Epithetis
& Synonymis nimis sunt curiosi & prolixi,
multa vocabula unum idemque denotantia
coacervant, & quod uno vel paucis verbis no-
tari posset, pluribus circumscribunt,) Hi
omnes decens in Ecclesiâ genus orationis
non assequuntur. Etenim qui nimiam e-
legantiam in dicendo affectant, cum ser-
mone utantur à cōmuni & familiari ora-
tione remoto, fit ut minus ab auditorum
vulgo percipiantur &c. Antonius Riccob-
oni, Professor Patavinus in Italia Comment. de U-
su Artis Rhetor. Aristotelis, Comment. 24. expli-
cans Rationem Orationum Ecclesiasticarū cap.
7. pag. 608. scribit; Orator Ecclesiasticus in eo
potissimum debet laborare, ne Orationem nimis
cōm-

com

comtam & politam affectare videatur, & ei quidem emendatè loquendum est, sed non ad verba ornata, tanquam ad Sirenios scopulos adherescendum. Popularitas, inquit Caussin^{us} lib. XVI. de Eloq. Sacra & humanà cap. 19. praeclara certè virtus dicendi & major ad conciliandos animos, quàm quisquam putet, est sermonis quaedam ad hominum sensus accommodata facilitas, quae rebus & verbis, si non instructa curiosus, fuit tamen omninò beatus. Populari, simplici, vulgoq; notà ratione dicendi mysteria regni coelorum, quàm commodissimè tradi rudioribus & inculcari possunt, sine pompà & splendore sermonis. Apostolus 1. Cor. I. 17. docet Crucem Christi, i. e. doctrinam de Cruce, passionè & monte Christi affectatà illà grandiloquentià & verborum pompà evacuari, i. e. vim & efficaciam Deo per doctrinam humilem de Christi morte & beneficiis in cordibus hominum fidem operandi debitam humanæ sapientiæ & eloquentiæ transcribi. Ideò ad Corinthios se venissè scribit 1. Cor. II. 1. non cum eminentia sermonis aut sapientiæ & orationem suam non fuisse in perswasoris humana sapientiæ verbis, sed in offensione Spiritus & virtutis, v. 4. Decorum quoq; tam verborum quàm Syllabarum observet numerum Concionator, & orationem certis non longis aut numerosis, sed brevibus periodis & sectionibus distingvat, ne nimia verborum multitudo & copia vires ejus obruat, & attentionem audi-

audi-

auditoris impediatur, vel nimia & intempestiva
 brevis orationem obscuram reddat. Omnis
 insuper absit sermonis levitas. Oratores enim
 sacri, tanquam legati Dei & Christi loco verba
 ad populum facientes, decentem in dicendo
 gravitatem adhibere debent. *B.D. Carpzovius*
Hodeg. Membr. I. Aphor. XI. breviter & nervo-
sè ostendit, quomodo Ecclesiastes res suas con-
cipere & eloqui debeat; Stylus sit, inquit 1. pro-
prius & purus. 2. simplex & non affectatus. 3. gra-
vis, omnem histrionicam levitatem excludens,
4. à technicis terminis purgatus, 5. periodis bre-
vibus stipatus, 6. prudentiâ mistus, ut noverit
incrementum capere, esse gravem, suavem, se-
verum, copiosum, ubi deceat. Benè Carol.
Regius Orat. Christi Lib. VIII. cap. 12. ab initio.
Ut sit ornata Elocutio, non est necesse eam
in verbis habere elegantiam exquisitam,
ut magis verba, quam res ornatum
ostendant; Est certa Fabii Quintiliani
Lib. IIX. cap. 2. sententia, jacere sensus in
oratione, ubi verba laudantur. Clemens
Alexandrinus Lib. I. Strom. affirmat;
Orationem valde ornata verborum floribus,
esse